MENSIS ASCETICVS

RELIGIOSI HOMINIS,

MEDITATIONES XXX.

Ex quibus plures de ijs, quæ concernunt Statum Religioſum.

STVDIÔ

Unius Canonici Regularis Lateranenſis Profeſſi Cracovienſis

COMPLECTENS.

Anno Domini 1713.

CRACOVIÆ,
Typis Franciſci Cezary, S.R.M, Illuſtriſsi & Reverend: Dñi Episc. Cracov. Ducis Severiæ; necnon Scholarum Novo-dvorsc. Ordinarij Chalcographi,

Approbatio Censoris.

Libellum hunc, MENSIS ASCETICVS RELIGIOSI HOMINIS *intitulatũ, & verè Catholicas Meditationes, triginta continentem, typo dignum approbo.*

M. BASILIUS PLASCZEWSKI, S.T. Doct. & Professor, Ecclesiarũ Cracov: Cathedralis Canonicus, Collegiatæ SS. Omniũ Præpositus, S.R.M. Secretarius, Librorum Diœcesis Crac: Censor. In Collegio Majori 1713. Die 20. Novembris.

ADMODUM REVERENDIS DOMINIS,
DOMINIS,

Canonicis Regularibus Lateranensibus Congregationis Per Minorem Poloniam, & Magnũ Ducatum Lithvaniæ Extensæ,

Confratribus suis Observandissimis.

I*Nter continuas Vestro commodo temporali applicatas sollicitudines meas, ut Spirituale quoq; Vestrum commodum promoveam, hanc opellam Vobis offero.* Admodùm Reverendi Domini. *Mensem Asceticum Religiosi Ho-*

 minis

minis eam intitulavi, ex eo quòd numero dierum mensium aliquo modò respōdeat numerus distinctarum in illa Meditationum. Meditādi methodū sequor in nostra Cōgregatione usitatam, scilicet in quatuor Puncta quamlibet Meditationem subdivido, Actum alicujus Virtutis subjungendo. Brevia licèt Puncta sint, ea tamen privata cujusvis devotio ampliare, ac protrahere pro libitu potest. Accipite ergo hoc exiguum magni affectûs mei erga Vos documentum, ego precabor Cælites, ut fructuosè hunc Mensem percurrentes, felicem Æternitatem incipiatis.

ME-

MEDITATIO I.

De vera Cognitione DEI in hoc mundo.

PUnctum I. Considera: quàm multi non cognoſcunt verum Deum, ut eum cognoſcere oportet. Et ſic Ethnici facturas & opera manuum hominum colunt; Judæi licèt credant unum Deum Factorem Cæli & terræ, non tamen Eum credunt ut Trinum in Perſonis; Hæretici etſi cognoſcant Deum verum, tamen multis Ejus revelationibus non aſſentiuntur; ex his alij non cognoſcunt Deum verum, alij non cognoſcunt Deum, ut Eum cognoſcere oportet ad ſalutem.

Punctum II. Conſidera; Catholici omnes, imô Sacerdotes & Religioſi,

ligiosi, quicunq; vocationi suæ non respondent, non cognoscunt Deum verum, ut eum cognoscere oportet; nam licèt ore Deum profiteantur, factis tamen Eum negant. Ah miserum statum talium hominum!

Punctum III. *Considera*, quàm pauci sunt, qui cognoscunt verum Deum; quàm pauci sunt, qui cognoscunt Deum, ut Eum, cognoscere oportet; hoc est, qui cognoscunt Deum, & ut Unum in Essentia Trinum in Personis, & ut Redemptorem, Sanctificatorem, Judicem vivorum & mortuorum, &c & simul Eum verè diligant, & filiali timore metuant! O Bone Deus da mihi amorem pariter ac timorem Tui.

Punctum IV. *Considera:* deplo-
rando

rando miseriam eorum, qui non cognoscunt Deum, ut Eum cognoscere oportet ad salutem; imaginare, quomodo tales in nocte infidelitatis, ac aliorum peccatorum ambulent; & nisi Divinæ gratiæ lux illis affulserit, in foveam æternæ damnationis cadent. *Considera*: an non sis de numero talium? Observatâq; ariditate cordis tui in obsequio Divino, ac alijs habitualibus imperfectionibus tujs, dole, ac emendari propone.

Actus Cognitionis & Amoris DEI.

O Summum Bonum! Dulcissime JESU! quis mihi dabit, ut ego Te quotidie, quôvis momentô vere cognoscam, ac cognoscendo, intensissimè præ omnibus creaturis diligam? O si pos-

ſem ad veram Tui cognitionem ac amorem inducere omnes infideles, Hæreticos, peccatores, libentiſſimè etiam nunc totum ſangvinem meum profunderem: ſuſcipe o Deus hoc votum, hanc promptam voluntatem meam, eamq; gratiâ Tuâ confirma.

MEDITATIO II.

De Amore DEI.

PUnctum I. *Conſidera*, & præ oculis tuis pone beneficium creationis, & conſervationis tuæ in hoc mundo O quot creaturas rationales reliquit Deus in ſtatu puræ poſſibilitatis! Quas, ſi fortè in ſtatu actualis exiſtentiæ poneret, exactiùs, quàm tu, ſervirent Deo, meliùs Illum diligerent, diligentiùs Mandata Ejus cuſtodirent &c.

O quot homines, quos nôsti, cum quibus conversabaris, mors absumpsit! te miserum ex statu possibilitatis extraxit Deus, & hucusq; conservat! O quanta tibi inest obligatio amandi Deum!

Punctum II. Considera: beneficium Redemptionis tuæ: poterat Deus sicut totum genus humanũ, ita & te relinquere in massa perditionis æternæ, sicut defactò reliquit Angelos malos; *nam quis imputabit tibi, si perierint nationes, quas Tu fecisti?* (Sap: 12.) Non reliquit te, sed miseratus tui, pretiosissimo Sangvine, & durissimâ morte suâ te redemit; prior te amavit, qui amore tui mortuus est, ah redama amantem te!

Punctum III. Considera: præmium, quod Benignissimus Deus

promisit diligentibus se; *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus ijs, qui diligunt eum* (ad Cor: 1. c. 8.) Amas hominem ob spem temporalis præmij, & quomodo non amabis Deum, æternum tibi præmium præparantem, promittentem?

Punctum IV. *Considera*: quòd amare Deum, quia te creavit, sit observantia naturalis; amare Eundem, quia te redemit, sit obligatio servilis; amare, quia prior te amavit, sit gratitudo necessaria; amare, quia cælum promittit, sit lucrum gloriosum; ast amare Deum, quia est Bonum supra omne Bonum, hic amor eximius est: Hæc est Charitas Dei perfecta, sic ama Deum: Nos miseros! sæpe leves

ima-

imaginariæ bonitatis ſtillulas captamus, & infinitam Bonitatem negligimus!

Actus Amoris DEI.

SI obligatio, quâ benefactoribus noſtris pro acceptis beneficijs devincti ſumus, tanta ſit, & ſingula beneficia, quaſi titiones & ignis ſpiritualis incentiva! quantum o Domine Amoris ardorem in corde meo naſci par eſt, cùm tot habeam faculas amoris tui? Atq; hoc tantò magis, quia in Te ſolo reperiuntur omnes amandi cauſæ ac rationes. Si namq; Bonitatem Tuam conſiderem, quis Te melior? ſi pulchritudinem, quid Te ſpecioſius? ſi ſvavitatem, ac benignitatem, quis Te ſvavior magisq; benignus? ſi amorem, quis noſtri aman-

amantior illô, qui tanta, hominũ causâ, passus est? O amantissime super omnia amata! o amabile principium meum, & summa sufficientia mea! quando Te amabo totis vivibus, & ex tota anima mea? quando Tibi in omnibus placebo? quando morietur in me, quidquid Tibi contrarium est? quãdo totus incipiam esse Tuus, & desinam esse meus? quando me depascent amoris Tui flammæ? quando felicem illam videbo diem, quâ sublatis omnibus impedimentis, facies, ut unus spiritus tecum sim, nec in posterum à Te divellar? O Domine, ecce me totum offero, in quem omnem iram Tuam liberè effundas, tantùm ne deneges mihi amorem Tui. Non aurum nec argentum postulo, imò neq;

neq; cælum, nec quidquam creatum; hæc enim absq; Te animum meum nequeunt satiare? Amorem quæro, amorem efflagito, suspiro; da mihi amorem tuum, & sufficit mihi.

MEDITATIO III.

De Quiete Cordis humani.

P*Unctum I.* Imaginare homines avaros, ambitiosos, luxuriosos, invidos, iracundos &c sæpenumerò insomnes ducere noctes, quotidiè cupiditatum suarum cruciari aculeis

Punctum II. Adverte an in horum numero non sis? quod deprehendes facilè, si reflexionem feceris super sensuales appetitus tuos, ac immortificatas passiones proprias.

Punctum III. Cogita de remedijs, quibus sanari possint animæ tuæ vulnera, quæ tibi spiritualem adimunt quietem.

Punctum IV. Scias potissimùm esse remedium ad obtinendam internam quietem, si te conformes Divinæ voluntati in omnibus adversitatibus, & prosperitatibus tuis.

Actus Resignationis sui ipsius Divinæ voluntati.

F*Ecisti nos Domine ad Te, & inquietum cor nostrum, donec requiescat in Te* (S. August.) Et verè quies in Te solo, non in alia creatura, quia Tu solus potes desideria nostra explere, Tu appetitus nostros satiare vales. Aurum, honor, impurus amor, o quantum perturbant hominem! At verò resi-

resignatio nostri Tuæ voluntati, securam animæ parit quietem, quam nulla rumpere potest adversitas. Igitur Clementissime Salvator generis humani JESU CHRISTE, resigno meam voluntatem, fragilem, inconstantem, semper ad vitia pronam, Tuæ voluntati, fac de me, quod vis. Premere me vis anxietatibus, calumnijs, contumelijs, *fiat voluntas Tua.* Vis, ut laudem aliquam, aut honorem apud alios habeam, *non nobis Domine, non nobis, sed Nomini Tuo da gloriam* (Psal: 113.) Vis me mori? moriar. Vis me vivere? vivam. Vis me esse in cælo? sit ita. Vis me ardere in inferno? *fiat voluntas Tua.* Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, ad quodcunq; volueris.

ME-

MEDITATIO IV.

De Præſtantia Vitæ Religioſæ.

PUnctum I. Conſidera, vitam Religioſam eſſe promontorium bonæ ſpei, Fortunatas Inſulas Gratiarum Divinarum, portum naufragantium, Arcam Noë, extra quam qviſquis eſt, in proximo ſubmerſionis exiſtit periculo. Inſuper conſidera Statum Religioſum eſſe cælum in terris, in quo contemplanti animæ manifeſtat ſe Deus, ſpirituali dulcedine eam replet, afflictam ſolatur, langvidam ſanat, corruentem erigit &c.

Punctum II. Conſidera, Religioſos liberari à curis ſæcularibus, nec debere ſollicitari cum Martha erga plurima, ſed Uni (quod ſumme neceſſarium eſt) vacare Deo.

Expen-

Expende Benignitatem Dei erga te, quod Illius Gratiæ dexterâ ereptus fueris de continuis turbulenti maris fluctibus, id est, de fallaci, & fraudulento sæculo, in quo si viveres, fortè in æternum perires

Punctum III Considera, quantùm homines sæculares affliguntur propter sollicitudinem bonorum temporalium, imò varijs ultrò se exponunt periculis vitæ, v. g. mercatores propter lucrum, milites propter stipendium, Nobiles, brevi transiturum honorem &c. Et tu, qui Religiosam vitam elegisti, cur tepescis in Dei servitio? cur mortificationes inordinatarum passionum tuarum renuis? quæ non temporaneũ, sed perpetuũ in cælesti Patria lucrum & honorem tibi afferent.

Punctum IV. *Confidera* pericula, ac casus ferales illorum, qui postpositâ Religiosâ vitâ, sæcularem statum elegerunt: vel tædio affecti Religiosæ vitæ, Prælationes sibi, ut extra Obedientiam essent, apud Principes procurârunt, sive pretiô, sive obsequiô adulatoriô &c. Deplora horum maxima pericula, ac suppliciter ora Deum pro his in sæculi pelago naufragantibus, ne illos demergat in profundum inferni, sed ad portum felicem vitæ Religiosæ, à qua recesserunt petulanter, Gratiæ suæ dexterâ reducat.

Actus Gratiarum actionis.

QUid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? (Ps 115) O ineffabilem Clementiam Dei! qui me

me in adoptionem Filiorum Dei vocasti. Quæ mea dignitas? eripuisti me de sæculi fluctibus, ac naufragio, quod meum meritum? In Arca Noë, ne perpetuum subirem naufragium me inclusisti, quid in me Tibi complacuit? Gratias igitur Tibi pro tanto Tuo erga me indignum peccatorem amore refero, ac simul promitto me semper Tuis dulcissimis inspirationibus obedientem fore.

MEDITATIO V.

De Beneficio Vocationis ad Statum Religiosum.

P*Unctum I. Considera*, quis te vocavit? Deus est, non homo, non Angelus, non ulla creatura. Deus est, cui homo, Angelus, cui servit

servit omnis creatura. Vide ergo quem Dominum nactus fueris, vide quanta alacritate, quantô studio huic Domino serviendum sit?

Punctum II. Considera, quem vocavit? te miserum pulvisculum terræ, mendicum, pauperem &c. O quantum numerum meliorum, quàm tu, reliquit Deus in mundo plenissimo periculis! te vocavit in numerum Electorum suorum, responde factis vocationi tuæ.

Punctum III. Considera, in quem finem te Deus vocavit ad Religionem? *Ego elegi vos, ut eatis & fructum afferatis*; (Joan: 15.) scilicet, ut eas de virtute in virtutem, de tempore brevi in longam æternitatem, & fructum afferas in patientia, non aliam mercedem laborum tuorum in Religione quærens,

rens, nisi Dominum Deum tuum, qui est: *pars hæreditatis tuæ, & calicis tui;* (Psal: 15.) nisi salutem animæ tuæ

Punctum IV. Gratias age Domino Deo, pro dono vocationis ad statum Religiosum, ac pete, ut tibi concedat donum finalis perseverantiæ in hoc statu.

Actus petendæ perseverantiæ.

QVid conferunt, O Deus meus! omnes virtutes sine perseverantiæ dono? Quid feliciter navigasse prodest, si navis in portu pereat? aut pugnæ tẽpore strenuè se gerere si tandem hosti cedit victoria? aut arare & serere bene, si messis tempore segetes evanescunt? Perseverantia enim est, quam præmium, gloria, & corona consequitur, sine qua nulla

virtus

virtus vitam æternam adipiſcitur. Concede igitur mihi Benigniſſime Domine pretioſiſſimum perſeverantiæ donum, quod ſolus donare potes. Ne verò ex me huic dono aliquod impedimentum obſiſtat, fac me omnem rerum caducarum amorem radicitùs evellere, meumq́; totum cor in cælum ita transferre, ut quamvis corpore in terra hæream, ſpiritu tamen apud Te vivam.

MEDITATIO VI.

De Converſatione exemplari Religioſorum.

PUnctum I. *Conſidera*, Religioſum, ac quemvis ſpiritualem debere eſſe roſam inter ſpinas, ſolem ſine ecclypſi, ſpeculum abſq; macu-

macula, horologium sine errore, ad cujus vitæ & conversationis sonum, cæteri homines actiones suas dirigant. Persuadeas tibi rem tanquam certam, quod Religiosi ac Spirituales Viri tot censores habeant, quot homines, cum quibus vivunt, & conversantur; ideoq; omnia dicta, ac facta tua ita debes ordinare, ut non scandalizes proximum, sed potiùs ædifices.

Punctum II. Considera, quòd sicut ex proba vita, & cōversatione exemplari Religiosorum ac Spiritualium Virorum, multa bona in populo, ita ex eorundem vita improba, multa mala sequantur. Quod considerans cum S. Gregorio dic: *Nos Præpositi populo, auctores mortis existimus, qui esse debemus duces ad vitam; ex nostro peccato; populi*

populi turba prostrata est. Ah! quàm horrendam rationē Supremo Judici reddituri sumus, dum de manibus nostris sanguinem eorum requiret, quos in anima occidimus improbâ vitâ nostrâ.

Punctum III. Considera, quisquis scandalizasti proximum, in quanto salutis animæ tuæ versaris periculo. Imaginare animas ex inferno cum magno ejulatu vociferari contra te, quòd tam gravium pœnarum ijs inflictarum, tu causa extiteris.

Punctum IV. Considera, quanta sollicitudo tibi adhibenda sit circa animas, maximè tuæ curæ commissas, ut eas & verbis, & bono exemplo tuo, ad viam salutis adducere possis.

Actus

Actus Contritionis.

ERubeſco miſer, ac maximè confundor, ſtans in conſpectu Tuo Dulciſſime JESU; imò tremore cōcutiuntur omnia oſſa mea, *triſtis eſt anima mea, usq; ad mortem,* (Matth: 26.) dum recogitat multas animas per me miſerum peccatorem perijſſe in æternum. Illæ ardent in inferno, cruciantur à dæmonibus, & ego cur vivo? cur ad infernum non præcipitor? Ego ſiquidem cauſa horum peccatorum, quæ miſellæ illæ animæ commiſerunt. Ah cur me Juſte Judex non judicas? cur pro ſceleribus meis congrua non decernis ſupplicia? Tua hoc video Clementiſſime JESU Bonitas facit; vitam prolongas mihi, ad pæ-

nitentiam vocas, pulsas cor, ad emendationem vitæ excitas. O Bonitatem! o Clementiam! ubi estis fontes lachrymarum? quantocius ex oculis meis erumpite, & cum pænitente Publicano hunc Justo Judici supplicem libellum porrigite, *Deus propitius esto mihi peccatori.* (Luc: 13.)

MEDITATIO VII.

De tepiditate in Dei servitio.

PUnctum I. *Considera*, non paucos Religiosos esse, qui in primo ingressu in Religionem, sunt tam morigeri in suis actionibus, tam casti, modesti, devoti &c. ut Angeli in carne censeantur; sed vix finiunt Novitiatum, & ecce quanta morum in dies mutatio! si voluntati eorum non satisfiat in

cibo

cibo, potu, amictu &c. protinus excandescunt, contra Superiores murmurant, illis detrahunt &c. En Angeli lucis quomodo in Angelos tenebrarum transformati.

Punctum II Considera, quàm multi NeoPresbyteri, dum se præparant ad primum Missæ Sacrificium celebrandum, exactè conscientiam suam examinant, Confessionem fidelissimã faciunt, pia proposita statuunt &c. Ast quamdiu hic fervor? vix per unam diem! Venit secunda, tertia, quarta dies &c. magis ac magis tepescit in dies. adeò ut Cælestis Panis in Missæ Sacrificio vilescat illis & nauseet anima eorum super hoc dulcissimo Manna, tanquam super cibo levissimo.

Punctum III. Considera, an non

sis de numero eorum? quod deprehendes facilè, si in bilance judicij tui posueris vitam tyrocinij Religiosi, & vitam præsentem, quàm observans fuisti Regulæ ac statutorum tuorum! quàm silentij amans! quàm sobrius! castus! Superioribus ad nutum obediens! Spiritualium colloquiorum avidus! Proh dolor! Nunc omnia contraria in te videre est.

Punctum IV. *Considera*, & admirare tam repentinam tui mutationem: unde de modis renovandæ vitæ tuæ cogita, ex quibus hi præcipui esse possunt *imus*. Ut Actum Contritionis facias de omnibus imperfectionibus tuis, easq; per Confessionem expies cum firmo proposito non reincidendi. *2dus* Otiosorum conversationem devita, sed

sed cum talibus conversare, qui te meliorem reddant. *3tius* Juxta S. Bernardum, *sit tibi cella pro cælo, ora, lege, scribe, &c. 4tus.* Examen conscientiæ, tam matutinum, quàm vespertinum non omittas; plurimum etiam conducit ad renovandum spiritum annua recollectio per octo vel decem dies.

Actus Humilitatis.

VIde Domine fragilitatem meam; fateor quòd ubi vitam in perfectiori ætate meliorare debui, in vitia majora præceps eo. Dum me reflecto super quotidianos defectus meos, quibus summam clementiam Tuam offendo, me indignum esse censeo consortiô servorum Tuorum. Ast sciens Te summum Bonum, ad Te recurro; Sol es, dissipa tenebras peccatorum meo-

meorum; Medicus es, sana infirmitates animæ meæ; Pastor es, corrige errabundam ovem, da efficacem gratiam mihi indigno peccatori, ut renovem vitam meam in melius, & proficiam de virtute in virtutem.

MEDITATIO VIII.

De motivis ad perfectionem tendendi.

P*Unctum I. Considera*, quod inter motiva ad perfectionem tendendi, sit tibi primum motivum; Voluntas Dei, juxta illud: *Hæc est Voluntas Dei sanctificatio Vestra*. (1. ad Thessal. 4.) Et illud Christi; *Estote perfecti, sicut Pater vester*: (Matth: 5.) Et licet universaliter hoc intelligatur de omnibus

bus Christianis, specialiter tamen pertinet ad Viros Spirituales, & in sortem Domini vocatos

Punctum II. Considera, aliud Motivum ad perfectionem tendendi tibi esse: Doctrinam Christi. Docet Ille: *Estote perfecti*, (Mat: 5.) Audi Illum, & juxta doctrinam Ejus te compone; certè non est nobilior Magister, quàm Christus, *in quo benè complacuit Æterno Patri.* (Math: 17.) Ipse ergo audiendus, ipse imitandus.

Punctum III. Considera, deniq; Motivum ad perfectionem tendendi tibi esse; vitam Christi. Christus quamdiu in terris conversatus est, semper perfectiùs & perfectiùs operabatur ab infantia sua, proficiendo juxta illud: *Crescebat ætate, & sapientia inter homines.*

 (Luc: 2)

(Luc: 2) Cur? ut nobis relinqueret exemplũ similiter faciendi.

Punctum IV. *Considera*, an præfata motiva moveant te ad perfectionem adipiscendam? movent fortè? si eorum motioni respondes, gratias age Domino Creatori tuo; si non? confundere, dole, emenda.

Actus petendi studij Vitæ Spiritualis.

COncede mihi quæso Domine JESU Christe, Divinum Spiritum Tuum, quo tandem Tuus esse, sanctamq; vitam ducere, & homo spiritualis esse incipiam. fac me plenè intelligere, quomodo ex me ipso nihil boni præstare possim, ut omnem à me præsumptionem abijciam, in Te verò possim

sim omnia. Occuper semper in vilitatis ac profundæ miseriæ meæ attenta meditatione; cognoscam, quid tandem essem, nisi manu Tuâ sustentarer, ut sic me in Tuo conspectu humiliem. Attendam rationi, quam de Divinis donis Tuis, deq; gravissimis peccatis meis, Tibi sum redditurus, timeamq; Divina Tua ac occulta judicia. Æqua animi gratitudine læta suscipiam & adversa, cum eodem utraq; amore, Paternisq; visceribus à Te mihi mittantur. Subijciatur omninò spiritui caro mea, & hujus intuitu omnem asperitatem amplectatur, repellat mollitiem & delicias omnes Hæc mea sit occupatio, hoc studium, hæc vera sitis, Tibi uniri, Te frui, excutere, quidquid divellere me potest, à Tua gratia,

& intima dulciq; familiaritate Tua.

MEDITATIO IX.

De Intentione recta.

PUnctum I. Considera; per Intentionem rectam etiam minimas actiones honestas fieri meritorias: è contra opera, quæ videntur ex se bona, si desit recta intentio, fieri mala. Imaginare mercatorum, militum, aliorumq; præsertim vilioris conditionis hominum labores; quos si pro Dei amore Ejusque gloria sustinerent, certò certiùs mererentur vitam æternam; sed quia ipsorum intentio est temporale lucrum, ideò fortè laborant sine ullo suo merito.

Punctum II. *Considera*, quàm multi sunt etiam Religiosi, qui media nocte ad Matutinum surgunt,

morti-

mortificationes varias, juxta Religionis suæ consvetudinẽ faciũt, grossè vivunt, vili vestitu gaudent, onera & labores varios subeunt; præclara hæc facinora licet videantur esse meritoria quoad oculum humanum, sed Deus intuetur cor, intentionem respicit: nam si tales Religiosi habent pro fine majorem gloriam Dei, sui contemptum, illorum talia opera sunt meritoria vitæ æternæ. Si verò id ex consvetudine faciunt, cum vana gloria, vel formidine pænarum claustralium, talia opera non sunt meritoria vitæ æternæ.

Punctum III. Considera, nec Sacerdotum valere quidquam ingentes labores in prædicando Verbo Dei, in excipiendis Confessionibus, in visitandis infirmis, &c. Si

finis

ſtnis illorum ſit honor apud homines, lucrum temporale &c. Timendum eſt! ne alicui ex nobis in puncto vitæ exprobretur, ſicut cuidam nuper exprobratum eſt: *Prædicaſti te pro me, accipe in mercedem te pro me.*

Punctum IV. Conſidera, an non ſis de numero talium; & ſi adverteris te multa feciſſe ob vanam gloriam, ob commodum temporale, ex conſvetudine magis &c. deplora hos defectus tuos, & ſimul fac propoſitum, ut quàmprimum evigilaveris, omnibus actionibus tuis pro fine ſtatuas Majorem Dei gloriam.

Actus humilis ſupplicationis.

MEns ac cor noſtrum continuô rotantur circuitu in diverſa.

Tu

Tu vides Domine Deus, qui nôsti corda filiorum hominum. O quàm rarò nostris animis hæret amor & honor Tuus! sæpissimè laboramus, desudamus, pro unico lucro temporali, vel vana gloria, vel ex aliquo alio inordinato fine! Et ita potest meritò dici de nobis: *laborantes tota nocte nihil cepimus.* (Luc: 5.) Quid enim vita nostra? nisi nox; quia in tenebris peccatorum degimus; in hac nocte dum etiam maxima subimus onera, & quid reportamus? quid capimus? nihil! nam præter Gloriam & Honorem Dei, quidquid intendimus nihil est. Vide ergo Domine Deus noster, quàm cæci sumus, qui in actionibus nostris lumen Gloriæ Tuæ non spectamus, sed tenebras pravæ intentionis. Illumina

na cæcos mentis nostræ oculos, ut abhinc nihil aliud spectemus in actionibus nostris nisi solamGloriāTuā.

MEDITATIO X.

De mortificatione passionum.

P*Unctum I Considera*, ex originali peccato omnes humanas passiones suam habere originem, quæ si non mortificentur, transformant hominem in brutum, ut demonstrat S Chrysost sic v. g. passio iracundiæ trasformat hominem in venenatum serpentem, passio luxuriæ in eqvum hinnientem, passio gulæ in lupum voracem, passio reminiscentiæ injuriarum, in gibbosum camelum, passio astutiæ in subdolam vulpem, passio inobedientiæ, in recalcitrantem asinum &c. Quare imaginare homines

mines passionatos, esse monstra quædam, nam licèt speciem hominis habeant, inclinationes tamen & passiones ferarum.

Punctum II. *Considera*, quicunq; es spiritualis, refrenandas tibi esse omnino inordinatas passiones, ne qui in alto Sacerdotalis præeminétiæ (quæ Regali comparatur à S. Petro) culmine existis, & cælestem in terris vitam ducere obligaris, in turpissimum degeneres mõstrum.

Punctum III. *Considera*, quàm multoties non mortificando passiones tuas, cùm sis spiritualis, præbuisti scandalum sæcularibus, quandoq; occasionem improperiorũ &c.

Punctum IV. *Considera*, invenienda tibi esse remedia mortificandi passiones tuas; & si alia non suppetunt, suggero tibi; *imo*, Lin-

gvam tuam mortifices freno silentij, ne in verba detractoria, calumniatoria, maledictoria &c prorumpat: memor illius; *Qui non refrenat lingvam suam, illius vana est religio*; inquit S. Jacobus Apostolus. *2do* Si adverteris præcipuè in examine conscientiæ, quod in te aliqua passio prædominetur, statim recurre ad orationem, ut Deus tibi det gratiam mortificandi vehementem passionem tuam.

Actus Humilis Confessionis.

DOmine, vim patior, responde pro me. Vides Dulcissime JESU, quàm inter atroces & crudeles versor hostes, dæmon, caro, ac mundus exerunt totas vires suas, ut me ab Amore Tui retrahant, & ad se alliciant. O me mise-

miserum! Undiq; affligor, undiq; insidiæ mihi parantur. Et inter hos meos adversarios, fraudulentior & truculentior est mea Caro, quæ mihi blandum amoris infigit osculum, & occultè catenas infernales parat. *Ita inimici mei, domestici mei.* Hæc caro mea sub specie boni, ad omnia mala me stimulat, ad iracundiam provocat, superbiam persvadet, impura desideria proponit; verbo, omnia incentiva vitiorum in corde meo suscitat, & sentio *carnem meam repugnare legi mentis meæ.* (ad Galat.) Quid igitur faciam Domine Deus meus? ignoro! Remedium aliud non invenio, nisi ad Tuam misericordiam recurrendi. Specta quæso o Domine! *ecce servi nostri dominantur nobis,* (Thren: 5.) dum

animæ

animæ meæ ancilla caro imperat, me ad vitia trahit; Eheu! Clementissime Deus non permittas amplius dominari mihi tam vilem famulum meum, frange illius potentiam ac Vires, illius passiones coërce, Scuto Gratiæ Tuæ me protege ne succumbam, sed ut hunc domesticum hostem, Carnem meam, vincam, & illius satellites, sensus externos sub servili jugo habeam, & ita Tibi sine ullo impedimento hostili fideliter serviam, Te ex toto corde amem, in sæcula, Amen.

MEDITATIO XI.

De continentia Spiritualium.

P*Unctum* 1. *Considera*; quàm dolosè sæpenumerò dæmon cum viris spiritualibus procedat, quibus

ſub ſpecie ſanctæ converſationis, aſpectum in ſexum muliebrem ſvadet, & tunc carnales delectationes ingerit, quibus tanquam acutiſſimo telo animas eorũ vulnerat, & omni pretioſiſſimarum virtutum ſubſtantiâ ſpoliat; ut jurementò non unus lamentabili voce exclamare cogatur; *Deprædatus eſt oculus meus animam meam.*

Punctum II. *Conſidera*, ſicut per continentiam hominem quodammodo mutari in Angelum, ita per incontinentiam etîam affectivam, Religioſum virum, tranſmutari in turpiſſimam beſtiam, Hydræ infernali non abſimilem.

Punctum III. *Conſidera*; quanta damna âdferat etiam unica carnalis delectatio, ſi illam ad cor admiſeris: Ecce privat te Gratiâ Dei,

quæ

quæ longè majoris valoris est, quàm mundi omnes divitiæ, honores, ac voluptates: facit te inimicum Dei, odibilem Sanctis Angelis, omnibus creaturis stupendum monstrum, cùm imaginem Dei, impressam in anima tua, delectationum carnalium lutô deleveris, & figuram suis in volutabro fœtidissimo sese volutantis assumpseris.

Punctum IV. Considera, incõtinentiæ peccatũ, vel maximè in Sacerdotibus & Religiosis, esse Deo, Angelis, ac hominibus, summè contemptibile; tum propter fœtorem hujus delicti, tum propter scandalum aliorum, qui advertentes in spirituali Viro hoc vitium, mox in gravissima ruunt scelera, arbitrantes omnia sibi licere, si hoc in spiritualium Patrum suorum vita deprehendunt.

Actus

Actus ſupplicationis pro obtinenda continentia.

DUlciſſime JESU, Fons puritatis; ſcio neminem poſſe eſſe continentem, niſi Tu dederis ei. Quapropter ſupplex ad Te recurro in maximis procellis, quas excitat dæmonis furor, contra animam meam. Immittit quippe per Carnis oculos, carnales concupiſcentias; per aures ad noxias voluptates trahit, per nares ſpargit luxuriæ fragrantiam; per oris oſtia amaras aquas, quas ſaccaro delectationis hic vafer condit adverſarius; immittit per poros membrorum meorum carnalia deſideria. At vide hoc Domine Deus, & contere potentiam inimici mei. *Salvum me fac Domine, quoniam intrave-*

traverunt aquæ usq; ad animam meam Tibi cor meum trado, ut in illo Lilium Castitatis, Sponse animæ meæ quiescas; Tibi omnes sensus tam internos, quàm externos totaliter resigno, ne per illos adversarius meus immittat carnalium concupiscentiarum aquas, sed perpetuam, quàm Tibi vovi, servem castitatem, Tuo amori semper inhæream &c.

MEDITATIO XII.

De inæstimabili valore Religiosæ Paupertatis.

PUnctum I. *Considera*; ipsam rerum naturam tanti æstimare paupertatem, ut omnibus divitijs eam anteponat; nam aurum, argentum, & alios divitiarum thesauros

ſauros in terra abſcondit, ac pedibus calcari facit, perſvadendo quaſi, ne hæc avarus mortalium animus concupiſcat. Hinc Ethnici Philoſophi ſolo naturali rationis lumine ſibi perſvaſerunt ſummam præſtantiam paupertatis, ut Crates, Bias, Diogenes, & multi alij maluerunt, in privato lare pauperrimè viuere, quàm in divitijs & honoribus, aſſerentes: Paupertatem conducere ad beatam vitam; è contra divitias ad eandem impedire.

Punctum II. Conſidera, quantam & animæ & corpori ſecuritatem paupertas adferat; quia homo pauper invidiæ telis, quæ potentiſſimos quoq; trucidarũt Principes, non obijcitur, ſecurum capit ſomnum, ſemper hilaris eſt,

etſi

etsi totus dilabatur orbis, impavidum ferient ruinæ. Contemplationi rerum Divinarum vacat cum summa cordis voluptate ex Gratiarum Divinarum dulciflua abundantia; & ideò pauperi Religioso paupertas pro summis delicijs, ac divitijs debet esse, cùm hanc hæ infallibiliter subsequantur, juxta illud; *Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, centuplum accipietis.*

Punctum III. *Considera*, illos Religiosos esse miserrimos, qui voluntariam paupertatem professi, conqueruntur contra egestatem suam, etsi non re, tamen voto, divitias accumulant, desiderando, ut nullam in victu, vestitu &c. sentiant injuriam; tales tum in anima, tum in corpore infelices sunt; *in corpore*, nam egestate pre-

muntur

muntur eo magis, quò magis eam fastidiunt *in anima*, tum quia mæstitia vehementi, quæ ex apprehensione paupertatis consequitur, affliguntur; tum quia affectivè proprietarij sunt, adeoq; in magno periculo &c.

Punctum IV. Considera, quantæ eos manent divitiæ in cælo, qui voluntariam paupertatem elegerunt in præsenti vita: Vestitus enim vilis, quô nunc induuntur, transmutabitur illis in pretiosissimum ac lucidissimum amictum Gloriæ illius ineffabilis, quam Beati possident in cælo: locò vilium & paucorum ferculorum exsatiabuntur Divinâ Præsentiâ, quâ facie ad faciẽ perpetuò fruẽtur, pro paupercula cella, in æterna Beatitudine, tribuetur illis sedes Regalis fulgidissi-

gidissima, ornatissima; & quis quæso paupertatem spernet? eam sibi esse molestam censebit? &c.

Actus voluntariæ Paupertatis.

O Quanta stultitia mortalium est, Dulcissime JESU? qui perituras divitias quærunt, & Te, in quo sunt omnes Thesauri divitiarum æternarum, relinqvunt. Nudi egressi sumus de utero Matrum nostrarum, cooperuisti nuditatem nostram, & tamen nos miseri non contenti amplissimis Providentiæ Tuæ donis, ad mundanas anhelamus divitias, animabus nostris noxias. Nos qui paupertatis votum emisimus, sæpè delicias ac divitias sæculi quærimus. Obsoleta vestis nobis pudori est, victus moderatus salibus ac murmura-

murationi expositus. O nos miseros! non consideramus, quanti Tu Dulcissime JESU paupertatem æstimasti, ut illam posthabitis cælestibus divitijs, assumens naturam humanam, eligeres, quam per totam vitam Tuam, & præcipuè in Cruce, in qua nudus mortuus es pro redemptione generis humani, servasti rigidissimè: tum, ut nos ad paupertatem Tuo exemplo incitares, tum, ut animas nostras cælestibus divitijs repleres. At Domine Deus vide fragilitatem nostram! natura nostra per peccatum originale corrupta, semper ad vitia prona, raró quæ Spiritûs, sed quæ carnis desideria sunt, sectatur. Unde per paupertatem Tuam Dulcissime JESU, quam amore nostri per totam vitam Tuam servasti,

Te suppliciter rogamus, ut sensualia desideria nostra, quæ paupertatem horrent, fluxas opes appetunt, comprimas, ut Tibi in paupertate Spiritûs serviamus, & nihil avarum cor nostrum expleat, nisi Tuus Amor, qui Immensus ac Infinitus es in sæcula.

MEDITATIO XIII.

De præstantia Obedientiæ.

PUnctum I. *Considera*, Obedientiam excellere omnibus virtutibus, imò etiam oblationi, ut testatur scriptura: *Melior est Obedientia quàm victima.* Ideòq; sicut sine obedientia nulla Deo grata est virtus, ita si illa sola adsit, magnum acervum meritorum accumulat. Expende Filium Dei JESUM Christum tanti æstimâsse obedi-

obedientiam, ut juxta probabilem Theologorum opinionem acceptaverit præceptum strictum moriendi pro salute nostra, cui satisfaciendo *factus est obediens usque ad mortem.*

Punctum II. Considera: te hominem esse miserrimum, pulverem terræ, receptaculum omnium miseriarum, nudum de utero materno editum, & cur superbis terra & cinis? Superioribus tuis debitam obedientiam præstare renuis? Expende Luciferum de supremo loco cælesti in infimum & ignivomum inferni locum propter superbiam decidisse: & tu metue similem casum, si voluntati Prælatorum tuorum parere nolueris.

Punctum III. Considera: Prælatos tuos esse Omnipotẽtis Dei Cancella-

cellarios quorum ore Divina manifeſtatur voluntas: Unde quidquid dixerint, vel mandaverint, etiamſi videantur tibi indiſcreta, irrationabilia, eorum acquieſce conſilio, vel præcepto juxta doctrinam Apoſtoli: *Obedite Præpoſitis Veſtris.* Imaginare & pro certo habe, quod Benigniſſimus Deus ſpecialibus ſuis auxilijs aſſiſtat Superioribus, ne errent in regendo Grege ſibi cõmiſſo; quare tua judicia judicio Superioris ſubde, planè: *confidens fore, ut Deus pro ſua Benignitate eam illis injiciat mentem, quæ tuis etiam rationibus conducat, ut monet S. Xaverius.* (Lib: 7. Ep: 7.)

Punctum IV. Conſidera: Si quandoq; Superiorum præceptis non paruiſti, ipſi Deo magnam feciſti contumeliam, ut ipſe Chriſtus in Evan-

Evangelio ait: *Qui vos spernit, me spernit.* Et juxta Apost. *Qui potestati resistit, Dei voluntati resistit.*

Actus Obedientiæ.

O Dulcissime Salvator, JESU Christe, Tu descendisti de cælo in vilem terram nostram, & cum sis Rex Regum, & Dominus Dominantium, suscepisti servilem humanæ Naturæ conditionem, Obediisti Patri æterno, Matri Tuæ Sanctissimæ, Josepho Nutritio Tuo, imò & Crucifixoribus tempore Passionis Tuæ, & ego misserrimus homuncio, peccator maximus, cur non obediam Superioribus meis, per quos Tua Divina manifestatur voluntas? Igitur Te per Obedientiã Tuam oro, digneris juvare infirmitatem meam, liga voluntatem

ſvaviſſimo vinculo Gratiæ Tuæ, ut ſemper ſub jugo humilis obedientiæ exiſtat, Superioribus ſuis ad nutum pareat, illorum judicium ſuæ ſcientiæ ac prudentiæ præferat, & omnes Actus ſuos illorum voluntati conformet.

MEDITATIO XIV.

De perſeverantia in ſtatu electo.

PUnctum I. *Conſidera*, te elegiſſe Statum vitæ tuæ ex inſtinctu Divino, in quo reſpondens vocationi, *quicunq; perſeveraverit uſq; in finem, hic ſalvus erit.* Imaginare in omni ſtatu eſſe adverſitates, quas quicunq; patienter pro amore Dei tolerat, tanquam per potionem amaram, quam nobis cæleſtis propinat Medicus, dulcem animæ ſani-

ſanitatem, quam per peccatum amiſit, acquirit.

Punctum II. Conſidera, cæteris ſtatibus præeminere Statum Sacerdotalem, vel Religioſum; tum quia in ejuſmodi ſtatu multæ vel plures amputantur occaſiones Deum offendendi: tum quia in ſtatu ſpirituali longè major Divinarum Gratiarum percipitur ubertas, quàm in ſtatu ſæculari.

Punctum III. Conſidera, non debere te ſcandalizari, dum advertis in Religione tua aliquos defectus, & non debitam Regulæ ac Statutorum Obſervantiam; nam homines ſunt, qui in Religione vivunt; Non mirum, quod corruant. Tu quantum fieri poteſt, cura obſervare Statuta Religionis Tuæ, ſi autem id præſtare non

poteris absq; gravi offensa Confratrum tuorum, desidera id explere, & Deus coronabit tuam voluntatem, æquè ac si ipso facto executus fuisses.

Punctum IV. *Considera*, si v. g. in tua Religione magnum tædium, & quotidianas afflictiones sentis, te pusillanimem ac imbellem esse; si ex hac Religione, ubi hæc pateris, ad aliam, etsi strictioris observantiæ migrare vis; Hic enim major tibi in cælo paratur laurea, quia majus certamen hîc, quàm illic cum hostibus animæ tuæ inire potes. Persvadeas tibi procertò, quòd multoties Dæmon transformet se in Angelum Lucis, multa proponit nobis sub specie perfectionis illicita & nociva animæ. Si igitur vehemens desiderium sen-

tis mutandi institutum tuum in melius, proba illud per ferventes ad Deum Orationes, ac varias corporis mortificationes, Utrum sit ex impulsu Spiritûs S. an non ex suggestione inimici? qui sæpius suavi apparentis Sanctitatis ambrosia venenata gravissimorum peccatorum condit toxica.

Actus Perseverantiæ.

QVid est dulcissime Deus, quod me indignum ad Religiosam Vitam vocasti, & auxiliô Gratiæ Tuæ traxisti? Quæ mea merita, ut cum Filijs Dei ego maximus peccator consortiũ habeam? Non sum dignus, ut sim servus servorum Tuorum! & me illorum confratrem fecisti, illorum sanctæ Societati annumerasti! O quàm inefta-

effabilis Tuus Dulcissime JESU Amor erga me miserum peccatorem? Utinam ego ad ultimum vitæ meæ terminum in hac ad quam vocasti me, Religiosa Congregatione singulis momentis Te intentissimo amore diligam, Superioribus ad nutum obediam, Fratres meos amem, illis in necessitatibus inserviam. At vide Amantissime JESU; ecce adversarij animæ meæ, quàm frequenter volunt me à proposito meo abducere, perfectiora videntur svadere, sed dolosè ad peccatum superbiæ ac præsumptionis pertrahere conantur; sub specie humilitatis, hypocrisim; sub specie pietatis, vanam gloriam; sub specie solitudinis, tumorem ac aliorum despectum; solent svadere. Igitur Domine

mine Deus repelle à me has inimici suggestiones, da vires animæ meæ, ut inimici sui potentiam superet, ac in statu, quem elegit, perseveret. *Hæc requies mea in sæculum sæculi, hîc habitabo, quoniam elegi eam.* (Psal 13.)

MEDITATIO XV.

De prudentia Religiosorum in exterioribus.

PUnctum I. *Considera*, Religiosum Virum quamvis ubiq; etiam inter septa Monasterij, sed præcipuè extra, ac inter Sæculares conversando, debere esse summopere circumspectum; quare ita debet ordinare actiones suas, ut nihil sit, ex quo alij scandalum sumere possint

sint, sed potius exequatur doctrinam Christi dicentis: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* (Matth. 5.) O nos miseros! si tenebras ac caliginem peccatorum ubiq; relinquimus.

Punctum II. Considera, Religiosum Virum in mundo conversantem esse positum in medio luporum; o quantâ prudentiâ opus est! ne dilectam oviculam suam, scilicet animam perdat: esse positum in medio latronum, scilicet portantem thesaurum in vase fictili; (2. ad Cor: 4) oportet ergo esse providum, cautum, circumspectum, & *sollicitum ambulare cum Deo suo.* (Mich: 6)

Punctum III. Considera, Magistrum

ſtrum tuum Chriſtum velle, ut imiteris prudentiam ſerpentum: *Eſtote prudētes ſicut ſerpentes.* (Mat. 10) Quid faciunt ſerpentes? caput cuſtodiunt, aures ſepiunt, ſupra petram reptant: ita & Religioſus caput, hoc eſt principium agendorum cuſtodiat, & ad Deum referat; ſit ſurdus, dum blanditur mundus, caro, & Sathan; innitatur petræ, hoc eſt Chriſto, ne turpiter cadat.

Punctum IV. *Conſidera*, ac ſtrictè examines teipſum, qualiter converſaris cum Secularibus? prudenternè, circumſpectè, ac cautè? ſi ita, gratias age Deo; ſi non emenda.

Actus impetrandæ à Deo Prudētiæ.

NOverim Te Domine, noverim me; meditetur frequenter ani-

ma

ma mea, quid post brevem hanc & miseram vitam maneat, probos & improbos, Tibi charos, & à Te aversos; fugiat proinde, quidquid à Te separat, amplectetur, quæ perfectam cum Tua Majestate unionem promovent. Compone Domine omnes animæ meæ cogitationes & affectus, & omnia mea ad Te dirige, qui rerum omnium principium es & finis, & meæ beatitudinis unicum & perfectum compendium.

MEDITATIO XVI.

De refrenatione lingvæ.

P*Unctum I. Considera*, lingvam non immeritò comparari gladio acuto; nam sicut gladio si quis uti nequeat, & se & alios ferit; ita si quis lingvâ malè utatur, seipsum

in ani-

in anima & alios ferit. Expende lingvam tibi à Deo datam esse, ut eâ utaris ad illa, quæ spectant ad Cultum & Honorem Dei, ad utilitatem propriam, & proximorum tuorum, non autem ut alijs detrahas, obscæna loquaris, contumelijs, & convitijs alios afficias.

Punctum II. *Considera*, lingvam hominis habere quandam conjunctionem cum corde, propter venam, quæ à corde extenditur ad lingvam. Unde, qui dolosè fraudulenterq; cum proximo agit, aliud in corde, aliud in ore habens, pervertit naturæ ordinem, & graviter peccat.

Punctum III. *Considera*, Spirituali ac Religioso Viro famam bonam omnino esse curandam & conservandam; nam ut inquit S. Pa-

ter Augustinus: *Vita propter nos, fama propter proximos.* Si verò in præsentia sæcularium Religiosus minus honesta loquatur, vel verbum detractorium, aut contumeliosum proferat, occasionem præbet malæ de se opinionis, adeoq; non curat famam.

Punctum IV. Considera, omnium Sacerdotum & Religiosorum, qui Concionibus, exhortationibus, consilijs spiritualibus ædificaverunt proximos, lingvas fore sole clariores, melle dulciores, rosis fragrantiores ac rubicundiores. è contra lingvas malorum Sacerdotum & Religiosorum post extremum Judicij diem fore cane mortuo fætidiores, vermibus plenas, igneas &c. Hinc pete à Deo, ut cum Propheta gloriari possis: *Eructavit cor meum verbum bonum.*

Actus Propositi.

O Quoties Dulcissime JESU! o lingva mea tam modica, maximum vulnus animæ meæ inflixit? sed jam non amplius eâ ad similia utar. Ecce trado Tibi illam, qui Medicus es, ut putredinem, quam contraxit, purifices ac tollas. Abhinc *adhæreat lingva faucibus meis, si in omni sermone non meminero Tui.*

MEDITATIO XVII.

De vera Sapientia.

P*Unctum* I *Considera*, raram esse inter homines veram sapientiam, sed stultorum infinitum esse numerum. Alij enim sunt, qui intellectum & voluntatem rebus perituris totaliter immergunt, de divi-

divitijs, de commodis carnis &c. cogitando ac ea desiderando. Alij qui se existimant mundi sapientes, nihil aliud intendunt, cogitant, nisi alios fallere, sensum verbis velare, proximum supplantare, hypocriticam submissionem ac reverentiam cæteris præstare, ut ad honores promoveri possint; amicitiam simulare, affabiliter etiam offensos sibi alloqui, & mentaliter occasionem vindictæ de proximo quærere; talis sapientia est mera stultitia.

Punctum II. Considera, maximam illorum Virorum amentiam, qui continuò legunt, scribunt, libros in lucem edunt, hâc intentione, ut habeant reverentiam, laudem, gloriam, apud omnes: Hæcne est sapientia, vanam gloriam, ac fumum

mum laudis humanæ pro fine ultimato laborum suorum statuere?

Punctum III. *Considera*, veram Sapientiam in quatuor virtutibus præcipuè consistere *imo* in Cognitione Mysteriorum Fidei; nam Sapientia est per causas altissimas & à sensu remotas, qualis est cognitio Mysteriorum Fidei. *2do* in Pietate: *Ecce pietas ipsa est sapientia*, ait S. Pater Augustinus in Enchirid. *3tio* in Humilitate; *ubi humilitas, ibi sapientia*, ait Salom. *4to* in Timore Dei, juxta Psaltem: *Initium Sapientiæ est timor Domini.*

Punctum IV. *Considera*, quanta stultitia sit illorum eruditorum, qui dum aliquâ excellunt scientiâ, intumescunt, cæteros aspernando, honores ambiunt &c. O miseri! talenta scientiæ à Deo sibi data,

in

in terra, quia in terrenis rebus ambitionis; arrogantiæ, singularitatis, fodiunt; unde ipsis major damnatio instat. Deplora horum statum, ac vide, ne horum stultorum socius sis.

Actus desiderii veræ Sapientiæ.

O Increata Sapientia Dulcissime JESU! cur ad Te non anhelem? cur Te non desidero? cur Te non diligo? Eheu quàm rarò ego Tui habeo scientiam, in quo omnes thesauri Sapientiæ latent! sed potiùs mundi Sapientiam, in qua omnis tumor, arrogantia, fraus, superbia, &c. resident, affecto, quæro, quotidiè disco, quia Tua sensibus meis amara, mundi verò sapientia dulcis videtur Quæ major stultitia mea? purissimos Divi-

næ Sapientiæ Fontes spernere, & de cloaca fætida putridas ac turbidas sæcularis doctrinæ haurire aquas. O Domine Deus agnosco, & confiteor Tibi fatuitatem meam, qui sciens, in quo consistat vera Sapientia, eam addiscere renui, imò contempsi, ubi Timorem Tuum, Pietatem, ac humilitatem sectari nolui. Igitur sit jam terminus stultitiæ meæ, abhinc discam veram Tuam sapientiam auxiliante Te, & quidquid legero, scripsero, didicero, sint omnia puncta literæ, syllabæ, ad Majorem Tui gloriam. Ordinentur omnes & singuli actus intellectûs, voluntatis, ac memoriæ meæ ad hoc, ut laudetur Nomen Tuum ab omnibus, & in hac mortali vita, & postea in Cælesti Tua Gloria.

MEDI-

MEDITATIO XVIII.

De modestia Religiosi Hominis.

Punctum I. Considera, Modestiam maximè Religiosos decere: hinc S. Bernard. lib. 2. de Consi. c. 15. ait: *Nugæ inter Sæculares nugæ sunt, in ore autem Sacerdotis vel Religiosi, blasphemiæ.*

Punctum II. Considera: quod Seculares videntes modestiam Religiosorum in loquendo, faciendo, &c. sumunt bonum exemplum modestè se gerendi in actionibus suis; quodsi videant inter Religiosos, inutiles cachinnos, rixas, clamores &c. scandalizantur. Hinc per immodestiam plerumq; Religiosi æstimationem amittunt inter sæculares.

Punctum

Punctum III. *Considera*, Exemplar tuum scilicet Christum Modestissimum, qui nihil tumultuosè, præproperè, ac perturbatè egit, sed omnia ad leges modestiæ, etiam in convivijs, in injurijs, in quærendo, in respondendo &c.

Punctum IV. *Considera*: Christus in ultima Cæna, in illo Convivio Amoris, ah! quàm modestè se gessit! *Accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, & elevatis oculis in cælum, gratias agens benedixit, deditq; &c.* ait Canon Missæ. Vide hîc modestissimè omnia composita, manus, lingvam, oculos, totum corpus &c. Et tu Religiose, si Sacerdos es, in illo, plus quàm Angelico Ministerio, accipis panem & gratias agens benedicis; O quanta & tibi adhibenda est Modestia!

Actus Modestiæ impetrandæ.

COlligantur quæso Domine affectus omnes, sensus, & facultates animæ meæ in Te, ut ea sic unita non dividantur, aut sese ad vanitatem & multitudinem creaturarum abijciant. Tunc me felicem existimem, dum Te in lachrymis, pænisq; imitatus fuero. Sit mihi afflictio ipsa consolationi, pignusq; beatitudinis æternæ. Fugiat cor meum levitatem, dissolutionem, risum, vanaq; solatia. Omnes sensuum meorum claudantur januæ ad cujusvis creaturæ ingressum: Tibi soli Deus meus, & Creator, pateant, ut sic in Tuam transmutter immutabilitatem.

ME-

MEDITATIO XIX.

De Humilitate.

PUnctum I. *Considera*: Humilitatis virtutem omnium perfectionum magistram, cælestis ædificij firmissimum fundamentum, promotricem ad summos in cælesti Regno Honores, gratiæ apud Deum, & apud homines conciliatricem. E contra: Imaginare: superbiam esse originem omnium malorum, Bonorum Spiritualium deprædatricem, summè odiosam Deo & hominibus. Hinc, si virtutes quascunq; habeas, sola autem virtute Humilitatis destituaris, nihili æstimantur apud Deum. Unde meritò dixit S. Gregor. *Qui sine humilitate virtutes congregat, quasi in ventum pulverem portat.*

Punctum II. *Considera*: Si fueris verè humilis, semper cordis Tui quietem habiturus es; lingvas effrenes detractorum ac calumniatorum non metues; cum depressus fueris, elevaberis; cùm contumeliæ Tibi irrogabuntur, id pro encomijs reputabis; victûs & vestitûs penuria pro maximis divitijs tibi erit; & sic virtus veræ Humilitatis pacem, ac tranquillitatem animi tui efficiet.

Punctum III *Considera*: proprios tuos defectus; quàm sis facilis ad iram, ad carnis commoda sectanda promptus; ad spiritualia difficilis; in devotione aridus, in loquendo vana profusus; in victu intemperans, in conversatione immodestus, alienorum defectuum, etsi minimorum, censor acerrimus, tu-

orum vitiorum, etiam prægrandium, propugnator: Et quid de alijs in particulari peccatis tuis sentires, si hæc adverteres, semper in recenti memoria haberes; o quantùm te humiliares, quantùm te deprimeres!

Punctum IV. *Considera*, & obstupesce: quòd tu miser homo, indignus terrâ, quæ te sustineat. dignus mille inferis, audeas te alijs longè melioribus præferre; cùm Dominus tuus JESUS Christus Salvator mundi humiliavit se usq; ad mortem, & factus est opprobrium & abjectio plebis, cum publicanis & peccatoribus manducavit; Discipulorum suorum pedes lavit. Ah fuge superbiam Amore JESU! & te nulli præferas, sed viliorem ac indigniorem omnibus hominibus reputes.

Actus

Actus Humilitatis.

QVid mihi arrogo o Domine Deus! ego peccator maximus, esca vermium! Cur unus vermiculus, ego miser homo, me præferre alijs temerariè audeo? O amentiam & stultitiam meam! Tu Deus cùm sis Sapientissimus, Potentissimus, Ditissimus, Formosissimus, intantum Te humiliasti amore nostri, ut sceleratissimorum carnificum voluntati tempore Passionis substerneteris; castissima, sole clariore membra nudari, ac ferocissimè flagellari permiseris, in cruce inter latrones probrosissimos nudus mortuus fueris, & ego stultissimus, impotentissimus, egentissimus, turpissimum propter peccata mea monstrum, me alijs homini-

minibus longè excellétioribus præfero? O Domine Deus, da gratiam hanc mihi indigno peccatori, ut me præ omnibus servis Tuis humiliem, abjectissima officia eligam, defectus tum animæ, tum corporis mei, in recenti memoria habeam, & Tibi in omni humilitate, meipsius contemptu, fideliter serviam.

MEDITATIO XX.

De vitanda simulatione.

PUnctum I. *Considera*: Mentis candorem & simplicitatem ab omnibus commendari, signanter à S. Franc. Xav. qui ait apud Nadas. lib. 2 epist. 20. *Mentis candor atque simplicitas, Sancti Spiritûs gratissima sedes est.*

Punctum II. Considera: non esse

vitium magis indignum homine, quàm simulatio: hæc enim est subtile quidem, sed magnum malum, virtutum fucus, tinea sanctitatis, spuria moneta, quæ ubi ad probam venerit, æstimationem amittit.

Punctum III. Considera: simulatores varijs nominibus ignonimiosis appellari; ut: hypocritæ, aliud in corde, aliud in ore habentes; simiæ homines sanctos externè imitantes: in se autem nihil sanctitatis veræ, habentes vulpes fraudulentas, oculos humanos decipientes &c.

Punctum IV. Considera: An hoc vitio non labores? & magis appetas esse bonus, quàm videri, si pudet te agnosci, qualis sis, crede, quòd turpe est apparere, turpiùs est esse.

Actus impetrandæ à Deo simplicitatis.

DEus Amator corde simplicium, quibus Tua facilè secreta communicas, tribue mihi columbinam simplicitatem, cum serpentina prudentia junctam. Simulq; gratiam, quâ multitudinem implicationemq; rerum inferiorum evitans, unam eligam partem & securissimã, Te Deum meum, omnia in omnibus & omne Bonum meum. Amem ex corde sanctissimam Tuam legem, eidemq; me totum subijciam; gaudeam de bonis proximorum, doleam de malis, cogitem de omnibus benè; abhorream fugiamq; fictum omne, & duplex cor.

MEDITATIO XXI.

De Zelo Divinæ Gloriæ.

P*Unctum I. Considera:* Quod per Vocationem ad Statum Spiritualem deputatus fueris ad propagandam gloriam Dei, iuxta illud; *Glorificate & portate Deum in corpore vestro.* (1. Corinth 6.) Si igitur quæris commoda tua, aucuparis gloriam, & æstimationem tuam, iam non respondes vocationi tuæ.

Punctum II. Considera. Eliam, qui *Zelo zelatus pro Domini Deo,* (3. Reg. 19.) persecutionem, fugam, exilium, famem, sitim, sustinuit. Confundere *o Homo Dei!* (1. Timot. 2.) quod pro Deo, ejusq; augmento gloriæ nihil pati volueris.

Punctum III. Considera: quòd Christus zelo Divinæ Gloriæ incen-

sus, ubiq; Patris gloriam propagabat, ostendendo modo illius magnificentiam: *simile est Regnum cælorum regi*: modò Amorem, *Homo quidam fecit cænam magnam*: modò Justitiam; *Redde rationem*: modò Misericordiam, *Homo quidam descendit &c.* Modò excellentiam. *Pater maior me est*; Modò subiectionem, *Ita Pater quoniam &c.* Et quid horum fecisti?

Punctum IV. Considera: quòd spirituales viri ministeria ac officia Angelorum obeant in terris; Angeli autem quid faciunt in cælis? assiduò occupantur circa Deum intelligendum, amandum, laudandum, &c. Agnosce ò Religiose vir, quod tuum officium, illudq; exequere.

Actus

Actus Zeli Gloriæ DEI.

CUm Te videam JESU Bone tanti Animas fecisse, ut pro ijs liberandis cælô descenderis, humanitatis saccum indueris, totum deniq; sangvinem & Vitam ipsam profuderis: quid erit tandem! cur ego eas parvi pendam, nec urar; liquescam, & me totum effundam pro fratrum meorum salute? O Deus, & Rex meus! Tuæ istæ manus, sacrumq; latus perforatū clamant ad me, docentq; Quid mihi sit faciendum, quid perpetiendum, animarum gratiâ, quarum Amor & zelus amplius Teipsum penetrarunt, quàm ferrum, lancea, claviq; ipsi: Imprime igitur amorem hunc, & sanctum zelum animæ meæ, inflamma zelo animarum, pro qui-

bus

bus Vitam propriam impendisti. Hæc mea sunt desideria, hæc sollicitudo, absq; alio respectu aut proprij emolumenti intuitu, sed zelo solius Gloriæ Tuæ, ut felicem ac beatum me iudicem tunc, cùm plurimum pro eis pati, aut mori mihi contigerit.

MEDITATIO XXII.

De Zelo animarum

P*Unctum I.* *Considera* te vocatum esse à Deo ad Statum Religiosum, non ad delicias, non ad carnis commoda sectanda, sed ad labores, vigilias, incommoda, nec tantùm, animã tuam ut lucrifacias, sed etiam aliorum; propterea Religiosi, qui incumbunt Vitæ activæ, vocantur à SS. Canonibus, Coadjutores Episcoporum.

Pan.

Punctum II. Considera, Te in statu Religioso positum constitutum esse à Deo Pastorem animarum, pasce ergo commissum gregem verbo, exemplo, oratione &c. Te factum piscatorem, semper ergo tibi pendeat hamus; te esse Venatorem, semper ergo tua retia expande, ut feram aliquam, scilicet efferatam animam capias ad pœnitentiam. Nobis dictum est: *Ecce ego mittam multos venatores & venabuntur eos, & piscatores multos, & piscabuntur eos* (Joan. 16.)

Punctum III. Considera, ac sæpius in mentem revoca illud Apostoli dictum: *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* (Jacob. 5.) Insta ergo, argue, obsecra; sin

secus

secus feceris, non Pastor, sed idolum, non venator, sed persecutor animarum, non piscator hominum, sed tuorum commodorum.

Punctum IV. Considera: Christus quos & quantos labores sustinuit zelô animarum? Hic prototypon Religiosorum est, & primus Religiosus Pauperrimus JESUS.

Actus Zeli animarum.

O Mi JESU! egone parcam sudori & sangvini meo? pro lucrandis Tibi animabus, cùm Tu non parcas Tuo o Domine! si possem tot animas à peccatis abducere, & ad perfectum Tui amorem adducere, quot sunt guttæ sanguinis mei, quàm libenter omnes ad ultimam effunderem, optaremq́; sæpissimè carnem ab ossibus meis

per

per supplicia abrasam recrescere, ut novo sanguine impletis venis semper habeam alium atq; alium sangvinem, quem millies iterumq; millies ad hunc finem profunderem. Memini Te dixisse servo Tuo Carpo paratum Te iterum pati & crucifigi pro quacunq; vel unica anima; o quantum amas animas! da mihi igitur hanc Gratiam, ut nullam negligam, quam per Gratiam Tuam ad salutē juvare possum.

MEDITATIO XXIII.

De Tolerantia adversitatum.

P*Unctum I. Considera*: Nullum inveniri in mundo, cui aliqua non contingat adversitas, Imò qui in maiori præ cæteris divitiarum aut honorum gradu sunt, eo majoribus adversitatibus premuntur

Pun.

Punctum II. Considera: Persecutiones, ægritudines, tristitias, & alias adversitates, quibus premimur in hoc mundo, esse infallibilia indicia Amoris Divini erga nos! nam: *quem diligit, castigat*. Imò & prædestinationis ad Gloriam æternam esse signa, nam ipse Christus dicit: *Beati estis, cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis*. Quare affectandæ potiùs, quàm fugiendæ sunt, pro illisq; gratiæ Deo referẽdæ.

Punctum III. Considera: Jesum Christum Salvatorem tuum amore salutis humanæ, contumelias, verbera, carceres, illusiones, ipsam deniq; ignonimiosissimam mortem Crucis, inter sceleratos latrones patientissimè tolerâsse: & tu quare con-

contumelias, infirmitates, & alias adversitates, quæ tibi evenire solent, patienter non toleras amore Christi exemplaris tui?

Punctum IV. *Considera* ac erubesce: Non solùm Apostolos, & alios innumeros ferè Viros Sanctos libenter exilia, tormenta, contumelias, ipsam deniq; mortem subiisse; verùm etiam debiliorem sexum, scilicet, tot millia Virginum in juvenili ætate imperterritô animô flagella durissima, ignes, rotas, &c. tolerâsse: & tu Vir Religiose cur fastidire non erubescis leves tribulationes propter Regnum Dei.

Actus Postulationis.

O Dulcissime Salvator JESU Christe! quis mihi det, ut ego moriar pro Te? ut omnes guttas

ſangvinis mei profundam amore Tui, qui amore mei mortem ſuſtinuiſti, & totum de venis Sanctisſimi Corporis Tui effudiſti Sangvinem. Hoc votum, hoc deſiderium meum, at contraria his opera ne fiant, vereor; ſcio enim me hominem eſſe fragilem, ad impatientiam velocem, ad murmur verbolitates & querelas profuſum, &c. Vide ergo Domine fragilitatem meam, da Gratiam patienter ferendi ægritudinem, contumelias, opprobria, &c. Amore Tui; nam; *Leve tribulationis æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

MEDITATIO XXIV.

De contemptu vanæ Gloriæ.

PUnctum I. *Conſidera*; inconſtantiam humanæ laudis & gloriæ: nam

nam qui Te hodie laudant, honorāt, cras possunt vituperare, contumelijs afficere; ut videre est in Christo, cui eunti Hierosolymam, multitudo maxima hominum obviavit, summum honorem præstitit, amanter ac hilariter acclamavit: *Hosanna Filio David. Benedictus qui venit in Nomine Domini*, Ac post aliquot dies Barabbæ scelestissimo latroni postposuerunt Eum & ignonimiosâ morte trucidârunt.

Punctum II. Considera; quòd si bona opera facias, ut si jejunes, Verbū Divinum cum fervore prædices, si alia Charitatis, tum erga Deum, tū erga proximū documenta præstes, si admittas deliberatè vanam gloriam & laudem humanam, ac in illa tanquam in causa finali tuorum actuum quiescas, iam omnia illa opera

opera tua desinunt esse bona ac meritoria ob finem malum. Hinc infer: vanam gloriam esse ærruginem etiam optimos Religiosarum perfectionum fructus depascentem, esse vulpeculam parvam, quæ demolitur Vineam florentem bonorum operum.

Punctum III. Considera; Magnam stultitiam tuam, qui ideò specimina scientiæ tuæ, aut Religiosarum Virtutum in præsentia aliorum præbuisti, ut laudareris, & honorareris ab hominibus: idcircò cave tibi, ne fueris aliquando ex numero eorum, quibus in extremo Judicio dicetur. *Recepisti mercedem in vita tua.*

Punctum IV. Considera; Angelum Custodem omnes paratum annotare actus tuos virtuosos; si igitur in

tur in exercitio horum actuum admittas appetentiam laudis humanæ, rubore afficis vigilantissimum animæ tuæ Custodem, qui multum contristatur eô! quòd cacodæmon ingens volumen habeat impletum malis operibus tuis. Jlle verò nullum virtuosum actum tuum, quem præsentet supremo Judici in hora exitûs tui.

Actus Humilitatis.

NOn nobis Domine, non nobis, sed Nomini tuo da gloriã. (Psal. 113.) Ego vilis homuncio amore Tui omnes laudes, omnem gloriam, omnem honorem, quem Tibi Sancti Tui à creatione mundi præstiterunt, & hucusq; tam in cælo, quàm in terra præstant, Tibi offerre non desino. Et si aliquam

ego miserrimus homo laudem, gloriam, ac honorem habeo, vel habiturus sum, omnia hæc à me abalieno, Tuo Honori, Tuæ Gloriæ subijcio, omnia cogitata, dicta, facta, per totum vitæ meæ cursum, imò per interminabilem æternitatem, Tibi Ter Optime Maxime Deus ad Majorem cedant Gloriam.

MEDITATIO XXV.

De moderata refectione corporis.

PUnctum I. *Considera*; quemvis hominem in hac mortali vita degentem ideò edere ac bibere, ut vivat, non autem ideò vivere, ut edat, & bibat, nisi irrationabili bruto similis esse velit. Imò confundere, quod etiam à brutis multoties in abstinentia superatus fueris, nam bruta ita edunt, ac

bibunt, ut tantùmmodò famescentis ſtomachi neceſſitati ſatisfaciant, poſtea autem omnes cibos ſibi porrectos reſpuunt. Heu quanta amentia hominum ad imaginem Dei creatorum! quantus pudor, à brutis confundi!

Punctum II. Conſidera; quæ & quanta mala nimia ſumptio cibi & potûs adferat; Stomachus agitatur doloribus, caput cruciatu affligitur, ex ore fætor, tremulæ manus, pedes inſtabiles, nutans caput &c. è contra Abſtinentia ſeu temperantia in cibo & potu hæc mala aufert, hominem Deo & Angelis amabilem facit.

Punctum III. Conſidera; quodſi nimiùm delicatè foveas carnem tuam, hoſtem domeſticum nutris, qui cum mundo & diabolo conſpiravi-

ſpiravit contra te, ut animæ tuæ per peccatum mortale inijciat vincula perpetuæ ſervitutis ſub imperio principis tenebrarum.

Punctum IV. Conſidera; Temperantiam maximè à Religioſis ſervandam eſſe, nam cùm hi longè magis obligentur ad ſectandam vitæ perfectionem, quàm ſeculares, ad majorem etiam tenentur abſtinentiam, ſtante valetudine corporis. Ideoq; multùm confundere, quòd cùm ſis Religioſus, tamen à multis ſæcularibus in hoc ſuperaris: imò ſi illis aliquando malum exemplum præbuiſti ex crapula & ebrietate, dole de tam gravi culpa, ac firmiter propone nunquam offendendi Deum gulæ vitiô.

Actus Postulationis.

ET quis est Domine dilectus servus Tuus, qui non rapiatur aliquantulùm extra metas necessitatis! (Aug. lib. Confess.) Fateor Tibi, quòd adversùm me non solùm à Christianis in sæculo viventibus, sed etiam ab Ethnicis, Judæis, & Barbaris, in temperantia superari. En illorum plurimi biduana, triduana, &c. sine omni alimento perferunt iejunia, & ego unius diei abstinentiam tolerare non possum. Vide fragilitatem meam, & succurre ei, da vires, ut possim resistere corpori meo, in-fensissimo hosti animæ meæ, ut illud in servitutem redigens, Tibi in abstinentia, quæ est omnium virtutum nutrix, serviam.

MEDITATIO XXVI.

De Mansvetudine.

PVnctum I. *Considera*; Clementiam ac Mansvetudinem, præcipuè Superioribus maximè esse necessariam, tùm quia sic stabilior est eorum Superioratus, iuxta illud: *Roboratur clementiâ Thronus eius.* (Prov. 20.) Tum quia; sic possunt suorum subditorum, quò volunt, flectere animos: certè quod svaviter non evincitur: coactè vix poterit extorqueri.

Punctum II Considera! quòd Superior in correctione subditorum, seipsum & Deum cogitare debeat, qualem hunc sibi esse vellet, talem se præbeat suis. O si quoties labimur (cùm septies in die cadat iustus) toties ad pœnam

prorumperet Deus! ad quæ non ultimæ desperationis littora volveremur? aut quis salutem sperare audeat, si ad omne delictum ruant fulmina?

Punctum III Considera; sub duro imperio nihil boni contingere, sed omnia mæroribus plena, plurimos otiô torpescere, suspicionibus laborare, metu natare omnia; & dum perpetuus rigor obversatur animo, tam altè odia mixta doloribus imbibuntur, ut nonnisi cum vita deponantur. Quare nec amica inter domesticos erunt colloquia, quia non tuta: nullius frons ad hilaritatem composita, omnium ad mærorem; si quid dicendum circumspiciunt singula, & medias ferè narrationes occidunt; ita dum penduli semper hærent, nun-

nunquam animum profundunt, claudunt centum clavibus, ut iam pro candore simulatio irrepat, exulare cogatur veritas, succedant doli, sævaq; Religionis pestis, detractio.

Punctum IV Considera, ac fortiter animo tuo imprime illud Rudolphi Imperatoris dictum: *severum ac immitem fuiße me aliquando pænituit, lenem ac placabilem nūquam.* Et illud *Violenta nemo Imperia continuit diu, moderata durant.*

Actus impetranda à Deo Mansuetudinis.

VEræ Mansvetudinis Magister, qui dixisti: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*: Concede mihi hanc excellentissimam virtutem, cujus Tu & Magister no-

bis, & exemplum esse voluisti, fac me absolutissimam illam Tuam mansvetudinem imitari, ne ulla in corde meo lateat amaritudo, nulla in verbis impatientiæ aut iræ appareant signa, nulla in operibus vindicta sequatur, sed constans semper sit anima mea, cum tanta inter injurias, & miseræ huius vitæ incursu pace & quiete, ut gratum Tibi sit in ea habitare, & Gratiæ Tuæ Donorumq; plenitudine eandem ditare.

MEDITATIO XXVII.

De Fraterna Correctione.

PUnctum I. *Considera*; quòd iuxta S. Franciscum Xaverium! *Misericordiæ est reprehendere errantes.* (Lib. I. ep. 7.) Quare, dum vides peccantem, & corrigis, exerces non

solùm Actum Charitatis, sed etiam Misericordiæ; corrige ergo verbô, exemplô, &c.

Punctum II Considera: Si Superior es, te ex officio obligari ad plectenda delicta tuorum subditorum; ast magna tibi cautione opus est; diversa ingeniorum est indoles, pleriq; corrigi possunt comitate, & affabilitate tua, sunt etiam aliqui, qui non moventur, nisi gravi impulsu.

Punctum III Considera: Si fratrem peccantem emendare negligis, non diligis; cæcum ad præcipitium tendentem, si non admones periculi, diligisne proximum? sic & fratrem tuum, si à ruina spirituali non revocas. O nos miseros! si in fronte nævus, in veste floccus cernatur, admonemus, & si tota fratris

anima, ulcus sit & cadaver, nihil commovemur!

Punctum IV. Considera: si proximi asinus in puteum ceciderit, ut eximatur, accurrimus; Væ nobis, si proximum sordere in delicto, immoti aspicimus. Si dicas: *numquid ego custos sum fratris mei?* Caini hæc responsio, crede. & factum ejusdem, si fratrem non corrigis. Dices, non audit me: *Dic ergo Ecclesiæ*, modò per prius observes Evangelicam monitionem.

Actus petendæ à Deo Justitiæ.

DOmine JESU Christe, qui Iustus noster es, & Iustitia nostra: concede, obsecro, mihi Gratiam Tuam, quâ noverim Laudis Tibi Sacrificium, propter id, quòd in Te ipso es, offerre; propter

Beneficia, quæ in me liberalissimè contulisti, & omnia, quæ mei gratiâ operatus & passus es Defleam quæso peccata, quæ in Te admisi, negligentiamq; meam in legitimo pretiosissimorum Donorum Tuorum usu. Servem & vota mea, & mandata Tua; tantaque attẽtione & sollicitudine in quocunq; Tuo opere solius Tui amoris occuper intuitu, ac si ex illorum singulis tota mea felicitas, omneq; bonum meum dependeret. Ne quæso, in proximum meum eorum quidquam admittam, quæ iuxta Iustitiæ leges nollem in me; è contra; quidquid ex iustitia mihi fieri vellem, id etiam faciam proximo. &c.

MEDITATIO XXVIII.

De Observantia Regulæ & Statutorum.

PUnctum I. Considera; quòd spiritus S. peritissimus Ordinũ Ductor ac Instructor normam vivendi nostris Patribus tradidit, præfixitq; limites, quos transgredi, temerarij, arrogantisquè animi signum est. Quare Religiosus majorum suorum placitis sedulò inhærere debet, nec ad sinistram ab ijs, nec ad dextram deflectat, nec gaudeat novis à se inventis, aut ab alijs mutuatis, sed fortiter primis institutis insistat.

Punctum II. Considera; Quòd Religiosus non minùs minimis, quàm maximis incumbere debeat, sciens: Regulas omnes à Deo provenire,

&

& à minorum neglectu, ad majora sensim delabi! ad ardua armamur, inermes ad minora decurrimus! Quare prudens licèt omnem hostem metuere debet, maiori tamen sollicitudine etiam minimo invigilabit.

Punctum III. Considera: Quòd in Nostro Ordine, licèt Regula & Constitutiones (nisi adfuerit gravis contempus:) non obligent sub mortali, tamen transgressio earum non vacat culpâ veniali, multumq; deformat Religionis decorem. Deinde, ut ait D. Bonavent. *Cavenda est negligentia exterioris disciplinæ cujus desertio signum est neglectæ conscientiæ, & interioris levitatis.* (De sex Alis cap. 3.)

Punctum IV. Considera: Quomodò te geras in observantia Regulæ ac

læ ac ſtatutorum Ordinis Tui ! Bene? Dic cum Propheta: *A A A Domine*. Male? Corrige.

Actus petenda à Deo Diſcretionis.

QUis poſſit Domine, tempeſtuoſum hoc mare à profunditatis altitudinisq; periculoſis extremis navigare ſecurus, niſi Navem Ipſe Sanctæ Diſcretionis dirigas gubernaculô? Hæc enim Diſcretio eſt illud ſal, quod omnibus ſacrificijs adhiberi voluiſti: hæc menſura, omniumq; Regula Virtutum; hæc Actionum bonarum perpendiculum, hæc initium, medium, finisq; eorum omniū, quæ grata ſunt Tibi; ſine qua vitium eſt, quòd virtutis ſpecie tegitur, & Oculis Tuis abominabile, quòd apud homines eſt alicujus pretij. Da igitur

tur mihi, Deus meus, thesaurum hunc, Ducem & Magistrum omnium Virtutum, & fac me imprimis cognoscere & æstimare, quid inter Te Creatorem meum, & creaturas intersit. Fac, ne in meis actionibus mihi, sed aliorum potiùs consilio Virorum, præcipuè Spiritualium, Prudentumq; nitar; Deniq;, ut ipsi lapsus, si qui contingant interdum, experimento mihi sint & admonitioni, quâ eos in posterum caveam diligentiùs, &c.

MEDITATIO XXIX.

De gravitate peccati venialis.

PUnctum I. *Considera*: per peccatum veniale multoties transiri ad peccatum mortale: ut patet in Davidis curioso aspectu ex fenestra; qui aspectus non excessit pec-

catum veniale! & quantorum malorum fuit causa, scilicet, Adulterij, homicidij &c.

Punctum II. Considera; quàm frequenter Deus puniat pro uno peccato veniali graviter, etiam Iustissimos homines; sic: quia David propter vanam gloriam iussit numerari milites suos, septuaginta millia hominum peste sublata sunt. (Reg. 24.) Sic quia ille pauper homo die Sabbathi frusta lignorum colligebat, lapidibus ex mandato Dei obrutus est. (Numer. 15.) Moyses *Dilectus Deo & hominibus*, (Deutor. 34.) quadraginta annis quærens terram promissionis, non vidit illam, sed mortuus est, in pænam peccati venialis. Et plura alia.

Punctum III. Considera; quòd in altera

æltera etiam vita peccata venialia igne purgatorij puniantur, quæ pæna tam gravis est, ut omnes cruciatus Martyrum, omnes lanigenas, & carnificinas, quascunq; passi sunt & patientur latrones, superet; ut communiter sentiunt DD. cum S. P. Augustino.

Punctum IV. Considera; quàm grave sit peccatum veniale, si tam gravem pænam meretur: nam pæna debet proportionari culpæ. Hinc infer: quas pænas merueris pro tot millionibus peccatorum Venialium, quæ floccipendis.

Actus Amoris Dei.

O Amor meus! o Dulcedo mea! o Svavitas cordis mei! JESU Christe! quantùm Te amare debeo, qui tam Misericors es erga me

indi-

indignū peccatorem. Quotidie non cesso peccare, gravitatē peccatorum venialiū non considero, unde maximas mihi accumulo pœnas, quas Tu Clementissimus Pater differs, & ad pœnitentiam suaviter per internas inspirationes vocas. O si ab hac hora ne minimo quidem peccatô veniali Te offendere possem, non timore pœnarum, quas miser promerui, sed solô Amore Tui! Da Gratiam, Benignissime Deus, hoc propositum effectuandi.

MEDITATIO XXX.

De gravitate peccati mortalis.

PUnctum 1. *Considera:* Animam tuam, dum est in Gratia Dei, esse formosissimā, aureo Virtutū amictu vestitā, Deo ac Cælitibus gratissimā, esse Hæredem Dei, Cohæredem

autem

autem Christi, esse Participem Naturæ Divinæ, adeoq; Filiam Dei adoptivam &c. Si verò peccatum mortale commiseris, jam Gratiâ Divinâ, consequenter omni formâ & ornatu spoliatur Anima Tua, exhæreditatur ex Bonis Cælestibus, fit odiosa Deo & Angelis, efficiturq; turpissimum ac fœdissimũ monstrũ, ipsi dæmoni non absimile.

Punctum II. Considera: In ipso temporis puncto, in quo aliquis peccat mortaliter, habet in eum potestatem diabolus, talem, ut si Deus misericordià motus non impediret, statim ad infernum raperet peccatorem cum anima & corpore, ut potè rebellem supremæ Majestati Divinæ.

Punctum III. Considera: ac imaginare: Omnes Creaturas consur-

gere

gere contra peccatorē; & imprimis quatuor mundi Elementa: Ignis vult eum comburere, àër peste inficere, aqua submergere, terra deglutire; tum animalia bruta; leo discerpere, Aquila rostrô oculos eruere, lupus devorare, aspis cum serpentibus venenatis mordere, ursus in minimas partes dividere, ac rapacibus avibus in pastum dare &c.

Punctum IV. Considera: Peccatori, quòcunq; se vertat, pericula tanta imminere. Quare quantociùs resurgere debet, & confugere ad sacratissima vulnera Christi Domini nostri per Actum Contritionis & Confessionis, *qui non vult mortem peccatoris, sed magis, ut convertatur & vivat*: & sic evadet imminentia sibi pericula.

Actus

Actus Contritionis.

PAter Clementissime, peccavi super numerum arenæ maris, non sum dignus vocari Filius Tuus, qui universam Gratiæ & Beneficiorum Tuorum ego prodigus filius dissipavi substantiam. Et jamne despe-rabo? non! scio enim de Tua Misericordia infinita, quam præstas etiam maximo peccatori, si supplex per veram pænitentiam ad Te convertatur. Quocirca licèt gravissimis peccatis Te Clementissimum Dominum offenderim, pro quibus merui, ut discerpar in frusta à rapacibus animalibus, ut me vivum terra absorbeat, ut à dæmonibus rapiar in infernum. Nihilominus confidens summæ Bonitati Tuæ, ad Te recurro in his meis peri-

periculis. Ad quem enim alium, nisi ad Te vadam, non video: Tu enim es Amantissimus omnium Nostrûm Pater, Tu in afflictionibus solatium, Tu contra adversarios nostros subsidium, Tu ad Te confugientium es Protectio ac singulare asylum. Da igitur mihi stolam Gratiæ Filio prodigo Sancte Pater; da annulũ filialis Timoris ac amoris Tui, refice esurientẽ virtutum alimoniâ, potu Iustitiæ originalis, quam perdidi cum primis Parentibus meis, debiles animæ meæ refocilla vires; imminentia saluti animæ meæ averte pericula. Effice id: ut hâc horâ sit finis peccatorum meorum, & simul principium amoris erga Te, in quo perseverem non solùm ad terminum Vitæ meæ, sed in æternũ. Am.

FOR-

FORMVLA

Vitæ Religiosæ Ex D. Bernardo.

SI plenè vis assequi, quòd intendis, duo tibi sunt necessaria. Primum est, ut subtrahas te ab omnibus transitorijs rebus, & terrenis, ut nihil de eis cures, ac si non essent. Secundum est, ut ita te des Deo, ut nihil dicas vel facias, nisi; quòd credideris firmiter placere Deo.

Primum autem assequeris hoc modô: Omnibus modis, quibus potes, te vilifica, te nihil reputando esse, sed credas omnes homines esse bonos, & meliores te, magisq; placere Deo. Quæcunq; audis vel vides, in Religiosis personis, puta bonâ intentione dici vel fieri, etiamsi contraria videantur: nam huma-

humana suspicio facilè fallitur. Nulli displiceas. Nihil unquàm de te loquaris, quòd laudem importet, quantumq; sit familiaris ille, cum quo loqueris; imò plùs labora celare virtutes, quàm vitia. De nullo sinistrè loquaris (quantumcunq; sit verum vel manifestum) nisi in Confessione, & hoc ubi non poteris aliter manifestare peccatum tuum. Libentiùs accommoda aurem tuam, cùm quis laudatur, quàm cùm vituperatur. Cùm loqueris, verba tua sint rara, vera, ponderosa, & de Deo. Si sæcularis loquitur tecum, & vana proponit, quàm citiùs potes succide sermonem, & transferas te ad ea, quæ Dei sunt. Quidquid contingat tibi vel alij, quantumcunq; conjũcto, non cures; & si est advers-

sum, non tristeris, si est prosperum, non læteris, sed totum nihil puta, & lauda Deum. Sollicitudinem adhibe, quantam maximam potes, ut vilitati tuæ sedulus intendas. Fuge locutoria, quantum potes: meliùs enim est silere, quàm loqui. Post Completorium non loquaris, quousq; finita sit Missa sequentis diei, nisi causa maxima intervenerit. Cùm vides aliquid, quòd tibi displicet, vide, si hoc est in te, & abscinde; si verò vides aliquid, quòd tibi placet, vide, si hoc est in te, & tene: si non est, assume; & sic erunt tibi omnia in speculo. De nulla re murmures cum aliquo (nisi credideris prodesse) quantumcunquè sit grave, quòd habes. Nunquàm pertinaciter aliquid affirmes, vel neges,

neges, ſed ſint tuæ affirmationes dubitationis ſale conditæ. A cachinnis ſemper abſtineas, rideas verò rarò, & cum paucis præſtes os tuum. Breviter: In omnibus dictis tuis ſic te habeas, ut ſint ita, quæ dubia dimittantur.

Secundum aſſequeris hôc modô: Orationibus cum magna devotione intendas, & eas dicere labora horis debitis; & quòd offers in oratione, reminiſcaris in corde: & ut ea, quæ legis, confirmes, diligenter recogita, & eorum imagineris ſtatum, in quorum memoria hæc dixeris. Iſta tria ſemper in mente habeas: Quid fuiſti? quid es? quid eris? Quid fuiſti? quia ſperma fætidum: Quid es? quia vas ſtercorum: Quid eris? quia eſca vermium. Similiter imagineris

eorum

eorum pœnas, qui ſunt in inferno, & quòd nunquam finientur, & pro quàm modica delectatione, tanta mala patiuntur! Similiter imagineris Gloriam Paradiſi, & quòd nunquàm finietur, & quàm breviter, & citò acquiritur, & quantus luctus & dolor poterit eſſe illis, qui pro parua re, tantam gloriam amiſerunt. Cùm habes aliquid, quod tibi diſplicet, vel times habere, cogita, quod ſi tu eſſes in inferno, & illud, & quidquid nolles, haberes. Et cùm habes aliquid, quod tibi placet, vel optas habere; cogita, quod ſi tu eſſes in Paradiſo, haberes illud, & quidquid velles. Si autem in inferno eſſes, nec illud, nec aliud, quod velles, haberes. Quandocunq; eſt Feſtum alicujus Sancti, cogita de illo,

quanta ſuſtinuit propter Deum, quia brevia; & qualia adeptus eſt, quia æterna. Similiter cogita, quia tranſeunt bonorum tormenta, malorum gaudia. Hi cum iſtis tormentis adepti ſunt Gloriam æternam, & iſti ex indebitis gaudijs æternam pœnam. Quandocunq; te vincit acedia, accipias hoc ſcriptum, & imagineris hæc omnia diligenter; & cogita de tempore, quod illi, qui in inferno ſunt, darent totum mundum, (ſi haberent) pro eo. Cùm habes aliquas tribulationes, cogita, quòd illi, qui ſunt in paradiſo, careant ijs. Similiter, cùm habes aliquas conſolationes, cogita, illos de inferno, carere ijs. Omni die, ſcùm vadis cubitum, examina diligenter, quid cogitaſti, & quid dixiſti in die; & quo-

quomodo utile tempus & spatium, quòd datum est ad acquirendam Vitam æternam, dispensasti: & si bene transivisti, lauda Deum, si malè, vel negligenter lugeas; & sequenti die non differas confiteri; si aliquid cogitasti, dixisti, vel fecisti, quòd tuam conscientiam multùm remordeat, non comedas, antequam confitearis. Istud in fine pono, ut imagineris duas Civitates: Vnam, plenam omnibus tormentis, quæ est infernus. Alteram plenam omni consolatione, quæ est Paradisus, & ad unam illarum oportet te currere. Vide, quid te possit trahere ad malum, vel impedire à bono? Credo, quòd nihil invenies. Certus sum, quod si bene servaveris ea, quæ sunt hîc, Spiritus San-

ctus habitabit in te, & perfectè docebit, te facere omnia. Ergo bene serves ista, & nihil negligas; & lege ea in septimana bis, sc: in die Mercurij, & in die Sabbathi, & ut inveneris te fecisse, quod scriptum est lauda Deum, qui est Pius & Misericors in sæcula sæculorum, Amen.

MONITA.

Ex Dacriano Abbate Benedictino.

I.

IN omnibus, quæ agis, tractas, aut loqueris, Honorem Dei per sanctam Intentionem purè quære, & custodiendæ cordis munditiæ, libertatiquè invigila.

II.

Plenâ fiduciâ te totum, & omnia tua Deo committe, ita ut Ejus Voluntas, æternaq; Dispositio sit tibi semper pro summo solatio. Et sive in tenebris, sive in tribulatione, sive in prosperitatis successu, sive in cordis angustia, sive in cordis latitudine, sive in donis pauperem, sive in ijsdem, divitem, te esse voluerit, rectè de Bonitate Ejus sentias, & gravia ac molesta quæq; de manu Pietatis, atq; Providentiæ Illius humiliter, patienter, & hilariter suscipias; certò credens: Eum omnia pro tua salute ordinare, uniceq;

optans, ut ipsa voluntas Ejus omni tēpore in te perficiatur.

III.

Ea, quæ nullâ ratione in te, vel alijs, corrigere potes, Deo commenda, longanimiter expectans, donec Jlle aliter de his, quæ tibi malè habere videntur, disponat.

IV.

Injuriā, seu contumeliā, tibi illatā, si cùm lætitia nondū ferre potes, non tamen propter illam, insipienter perturberis, neq; irâ excandescas, sed tranquillus permanere stude; nam indigniora pro te Deus tuus mansvetissimè toleravit. Ergo in talibus ferocientem

animi impetum religa & reprime, Deumq́; qui te instè quidem, sed saltem ex amore affligi permittit, magis, quàm hominem, qui te affligit, attende.

V.

Alteriùs Voluntatem potiùs, quàm tuam facere ama, & judicio alteriùs tuum iudicium facilè submitte; proprio sensui nunquàm proteruè inhærens, neq; aliquid sanctæ Obedientiæ præponens.

VI.

Nunquam alicui te præferas, nunquam aliquem contemnas: omnium vilissimum, indignissimumq́; te existima, omni-

bus te subijce, omnibus propter Deum servire desidera; & eos, qui te monent, aut reprehendunt, etiamsi inferiores videantur, æquanimiter audi, magis eligens culpam humiliter agnoscere, quàm contentiosè ac superbè teipsum excusare.

VII.

Tam libenter esto minimus, quàm fortè aliquis alius vellet esse maximus; & abjectus, non autem honorabilis haberi concupisce, ut Christo, sacræq; Ejus Genitrici MARIÆ similis appareas.

VIII.

Alicui placere vanè non affe-

&tes,

ctes, neq; diſplicere inaniter pertimeſcas. Et hominum, maximè mulierum, notitiam, familiaritatem, aut ſingularem erga te dilectionem, ne expetas.

IX.

Aliorum dicta, vel facta, tu temerè neq; judices, neq; diſcutias, & ſuperfluis curis te non implices, Verbaq; detractoria loqui, aut etiam audire, quantùm potes, caveas.

X.

Benignum & affabilem omnibus te præbe: de aliorum bonis, ſicut de proprijs, gaude, & aliorum malis ingemiſce, omnes ſincera charitate diligens,

diligens, neminem, quantumvis etiam molestum odiô habens, de nullius salute despe-rans, & imperfectis quibusq; piam compassionem magis, quam turbulentam indignationem impendens.

XI.

Mundi vanitates, carnisq; voluptates vilissimas sperne, Immortali Animæ tuæ Sponso teipsum servans, & in eo solatia constituens.

XII.

Paucis contentus esto, & simplicibus delectare, memor paupertatis, quam, pro te assūpsit, tibiq; commendavit, DEUS tuus; Tu discipulus, ille

Magi-

Magiſte ; tu ſervus, ille Dominus: gaudeat diſcipulus, dùm imitatur Magiſtrum ; exultet ſervus, dum ſequitur Dominum.

HÆC DOCUMENTA crebrò inſpice, ac lege, DEUMq; precare, ut ea adimplere posſis, ſine Cujus Gratia nihil Boni facere potes. Malæ ſuggeſtiones non adiment in te virtutem, ſi eis diſſenſeris, imò verò laboris moleſtia, quam in talibus ſuſtines, virtutem perornat, meritumquè adauget. Interna etiam inſtabilitas, quâ tibi nolenti cor inter precandum pſallendumq; miſerè diſtrahitur, non tol-

lit orationis tuæ fructum, ſicut nec ſterilitatis, ariditatisquè gelu, quô te aſſiduè conſtringi, conquereris: ſed curare debes, ut vigili, ſtrenuâ, & fideli diligentiâ ſanctum illud opus reverenter peragas: nam creſcente in te humilitate ac charitate, aliquando tibi fortè dabit, ut ſerenâ attẽtaq; mente rebus Diuinis attendas.

Vale, & Ora pro me.